

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0138

Sabato 17.03.2007

## LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'EM.MO CARD. JOSÉ SARAIVA MARTINS IN OCCASIONE DEL 50° ANNIVERSARIO DI SACERDOZIO

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'EM.MO CARD. JOSÉ SARAIVA MARTINS IN OCCASIONE DEL 50° ANNIVERSARIO DI SACERDOZIO

Pubblichiamo di seguito la Lettera che il Santo Padre Benedetto XVI ha inviato all'Em.mo Card. José Saraiva Martins, Prefetto della Congregazione delle Cause dei Santi, in occasione del 50° anniversario di sacerdozio, celebrato ieri:

### • LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro

**IOSEPHO S.R.E. CARDINALI SARAIVA MARTINS, C.M.F.**

Congregationis de Causis Sanctorum Praefecto

Quem cotidiana inter negotia agenda pluries convenimus cuiusque consiliorum sapientiam valde aestimamus, rerum agendarum peritiam et actuosam navitatem, nunc peculiari modo te cogitamus, Venerabilis Frater Noster, aureum Sacerdotii tui mox celebrantem iubilaeum. Toto ergo animo et affectu te complecti cupimus tibi que hasce per Litteras Nostram gratulationem exprimere simul et fraternam caritatem.

Quam frugiferum et gloriosum incohaturus esses ministerium quis tunc putare potuit, cum quinquaginta abhinc annos hac in Urbe iuvenis presbyteralem pie accepisti ordinationem! Multa divina talenta aequaque humana et catholica educatio, tua in familia recepta atque in religiosa et academica institutione, optime te instituerunt ad opera pro Ecclesiae bono prospere perficienda. Inclitus Lusitaniae filius, ministerium apostolicum verbis et scriptis in omnibus formis explevistis, potissimum in iuvenum educationis provincia.

Nam, breviter post tuam ordinationem, consecutus es licentiam in theologia apud Pontificiam Universitatem Gregorianam, insequenti autem anno lauream in Pontificio Athenaeo Sancti Thomae Aquinatis in Urbe. Deinde extemplo catholicam doctrinam alacriter coepisti tradere: primum apud Claretianam tuam Congregationem, ac postea in Pontificia Universitate Urbaniana, cui fere viginti continuos dicavisti annos

industriæ tuæ docendi, ter etiam munere fungens eiusdem Rectoris Magnifici.

Anno MCMLXXXVIII Archiepiscopus electus titulo Thuburnicensis, Secretarius constitutus es Congregationis pro Educatione Catholica. In hoc officio tota tua peritia in educationis provincia humanaeque excellentes virtutes plane maturos afferre valuerunt fructus. Ideo Ioannes Paulus II, Decessor Noster ven. mem., tuum intuens Evangelii nuntiandi studium, optimam doctrinalem præparationem et operosam navitatem in spirituali animarum bono locatam, fidenter præfecit te Congregationi de Causis Sanctorum et anno MMI inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Patres Cardinales cooptavit.

Nos autem peculiari modo claram atque sanam doctrinam tuam laudare volumus tuamque filialem Christo eiusque Ecclesiæ adhaesionem nec non eximiam caritatem in Nos et Sedem Apostolicam, quam Ipsi pluries sumus experti. Neque reticere possumus assiduam et competentem cooperationem tuam in exarandis insignibus de catholica fide documentis simulque, una cum aliis Fratribus Cardinalibus et Episcopis, in laboribus variarum Congregationum et Dicasteriorum Apostolicæ Sedis.

De his proinde plurimisque aliis de causis gratulari tibi festinamus hanc faustam Sacerdotii tui anniversariam memoriam nec non multiplicia salutaria incepta in bonum totius Ecclesiæ peracta. Ominamur tibi laetificam iubilæi tui celebrationem atque, intercedentibus Beatissima Virgine Maria, sancto Ioseph omnibusque Sanctis et Beatis, quorum causas diligenter curas, copiosas tibi Spiritus Sancti precamur consolationes.

Haec denique sincera vota et omina confirmet Benedictio Nostra Apostolica, quam, veluti gratulantis animi Nostri testem caelestiumque gratiarum pignus, imprimis tibi, Venerabilis Frater Noster, deinde Claretianæ religiosæ tuæ familiæ cunctisque gaudii tui participibus amanter impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVI mensis Februarii, anno MMVII, Pontificatus Nostri secundo.

BENEDICTUS PP. XVI

[00377-07.01] [Testo originale: Latino]

[B0138-XX.01]

---